Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sermo dei panis est. sed est differentia in panibus. est enim aliquis sermo qui ad communem
proferri possit auditum et edocere plebem de operibus misericordiae ac totius benefici
entiae. et iste est panis qui communis videbitur. At vero alius qui secreta contineat et de
fide dei vel rerum scientia disserat. iste panis mundus est et ex simila confectus.
iste in conspectu domini semper ponendus. et super mensam mundam proponendus.
iste solis sacerdotibus sequestratus est. et filiis aaron eterno munere condonatus.
Verum ne putes haec nos propriis sensibus excogitata narrare. et non in divinis obser
vasse voluminibus; proferamus etiam de scripturis qualiter apud diversos viros. de
panis diversitas pro merito unicuique servata est. Refertur in genesi quod abraham
patriarcha angelos susceperit hospitio. similiter autem et loth. sed abraham qui meritis prae
cellebat panes ex simila apposuisse describitur. quos cencrisias .i. occultos ac
reconditos nominavit. loth vero qui non habuit similam. ex farina panes hospitibus appo
suit. non quod ita pauper esset ut non haberet similam qui in divitiis non inferior
patruo scribitur. sed utriusque meritorum differentia per haec signantur indicia. quod is quidem
cui erant a domino mysteria revelanda ad quem dicebatur. non celabo a puero
meo abraham quod facturus sum. qui imbuendus erat et docendus de occultis
et secretis dei. ille panes ex simila scribitur habuisse. ille vero ad quem nihil
sacratum deferebatur sed ratio de praesenti salute et vita. panes communes ex sola
farina scribitur habuisse confecta. Et tu ergo si habes scientiam secretorum. si de fide
dei. si de mysterio christi. de sancti spiritus unitate potes scienter cauteque disserere.
panes ex simila offers domino. Si vero communibus uteris ad populum monitis et mo
ralem scis tantummodo locum tractare qui ad omnes pertinet. communem te obtulis
se noveris panem. Sed videamus iam quae sit confectio in istis panibus propositionibus.
qui ante dominum poni semper iubentur. De duabus inquit decimis sit panis. Duas quidem
decimas dixit. sed cuius mensurae sint istae decimae non comprehendit. cum utique consequens
fuisset si de quantitate similae volebat agnosci. ipsam cuius duas decimas
sumi iubebat nominare mensuram. Quae ergo ista res est. cuius mensura et modus
nec comprehendi potuit nec nominari. Decimus numerus ubique perfectus invenitur.
totius et numeri ex ipso ratio et origo consurgit. Competenter ergo auctor et origo
omnium deus sub hoc numero videtur ostendi. sed cum in ecclesia de solo patre
loquor et ipsi soli laudes profero. unius decimae panem feci. aut si de solo
christo fecero sermonem et ipsius enumeratio passiones et resurrectionem non
indicatio. unius decimae obtuli panem. Si vero dixero quia pater in filio est. et filius